Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2915
Quelle:
Copyright:

tio mensis primi quarti septimi et decimi praecedit nobis *Ordinem in annuntiatione sanctę Marię.* In *ordine quarta Feria Quadragesimae* abest a Codice *Confessio Poenitentis*, et multa alia variant. In *Denuntiatione Scrutinii* Symbolum graecum latinis nobis literis scribitur: *Pisteuuo is ena theon* &c. ubi observa sonum τȣ Ἡτα: *gis* (γης) *genitenta* (γεννηθεντα) *alithinon* (ἀληθινον) &c. *Ordo Diei Palmarum* multum in *Cod.* differt ab *Hittorpiano. Benedictiones* Olei *Ambrosianas* omittit *Noster.* Omittit item *tres Orationes ad Crucem* et Hymnum *Crux Fidelis* in *Ord. de Feria sexta Parasceues.* Item in *Ordine in Sabbato Sancto* Hymnum *Prudentii* cum *duabus Orationibus* praeviis. In universum eorum, quae legenda vel recitanda sunt, plerumque initia tantum ponit, ubi integra exhibet Exemplum *Hittorpii*, quod etiam T. XIII. *Bibl. PP. Lugd.* p. 666. reproductum est.

II. *fol.* 31. *Incipit Ordo Ad Sponsas Benedicendas. Ad Missam Antequam Dicatur Pax Domini.* Initium: *Inprimis cantetur Missa cum introito isto. In uoluntate tua domine uniuersa sunt posita* &c. Hodie obtinet: *Deus Israel conjungat vos* &c. *Orationes, Praefatio, Infra Actionem* et *Benedictio super Sponsam* petita sunt e *Sacramentario Gregoriano* in *L. A. Muratorii Liturgia Rom. Vet. Venet.* 1748. *col.* 244. f. Epistola depromitur e *Paulo ad Ephes. Mulieres uiris suis subditę sint* &c. Evangelium e *Johanne: Nuptiae factae sunt in chana* &c. Haec hodie diuersa. Inserta est praeterea *Benedictio Anuli*, et in *Rubrica* monentur Sponsi: *ea nocte pariter non dormiant sed pro reuerentia ipsius benedictionis in castitate maneant.* Adhaerent *Oratio pro parturiente* duplex et alia *in Natali genuino* infantis.

III. *fol.* 33. *Oratio ad capillaturam incidendam.* Sic: *Manda deus benedictionem tuam* &c. *Ad puerulum tonsurandum. Prefatio ad clericum faciendum. Ad barbam tondendam.* Omnia, ut *Hittorpii suprac.* p. 85. *Denunciatio primi, quarti, septimi et decimi Mensis*, ut jam supra in *Ord. Rom.* et *Hittorp.* p. 30 — 31. *Ordo* brevior eo, qui habetur apud *Hittorp.* p. 83. *Qualiter in Romana ecclesia sacri ordines fiunt. Capitula de Canone Chalced. Sancti Gregorii. Zosimi papę. Leonis papę. Clementis de oblatione altaris. De pallis. De officiis septem Graduum*, ubi Noster addit *Ysidori.* Iterum *Ordo qualiter in romana ęcclesia sacri ordines fiunt.* Abrumpitur in *Praefatione Ostiarii.* Omnia haec apud *Hittorp.* a p. 86. et in *Bibl. PP. T. cit.* a p. 702. sed quemadmodum ibi in *Inuitatione Ordinandorum* omissus est *Acolitus*, ita Noster *Lectorem* omittit. Sequitur *Ordinacio prespiteri* paene, ut *Hittorp. cit.* p. 93. sed ibi non habetur *Missa pro Presbyteris ordinatis* nec *in ordinatione leuite*, nec *in anniuersario die ordinatorum prespiterorum scilicet uel leuitarum*, quarum *tertiam* solummodo invenio in *Sacramentario Gelasiano* L.

I.